



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **PROGREDIENTIBUS QUIDEM BEATAE MARIAE VIRGINIS «DE GUADALUPE» IMAGO,**

QUAE PAROECIALI IN TEMPLO URBIS «PUERTO DE MANZANILLO»

ASSERVATUR, NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS CORONATUR Ad perpetuam rei memoriam. –

Progradientibus quidem temporibus omnium ordinum fideles ad Virginem Mariam fidenti animo decurrerunt, pro comperto habentes superna se beneficia indulgenter accepturos. Nos vero hanc pietatem cupimus augeri et proferri, ideoque occurrentum censuimus postulatis Venerabilis Fratris Gilberti Valbuena Sánchez, Episcopi Colimensis, qui poposcit, ut Clara imago Beatae Mariae Virginis «de Guadalupe», in paroeciali templo eiusdem tituli in urbe Manzanillo servata, nomine auctoritateque Nostra pretioso diademate coronaretur. Itaque, probatis iis quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statuit, potestatis Nostrae usi plenitudine, concedimus ut Beatae Mariae Virginis imago quam supra memoravimus pretioso diademate nomine Nostraque potestate redimiri possit, ob oculos videlicet sacrae liturgiae habitis praescriptis. Ceterum omnes noverunt apud Mexicanas gentes sub hoc vocabulo ardentि sane animo coli Virginem Mariam. Quapropter ulti cohortamur, ut huius loci fideles, patrum sectantes exempla, Virginis imagine eximiis honoribus elata, ad maiorem in caelestem Matrem pietatem concitentur. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV, mensis Septembris anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri sexto decimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana*

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana